



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Decima tertia Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

## Decima tertia Decembris.

*De sancto Autberto episcopo Cameraci.  
Ex historia vita, & Cameracensium litteris.*

**C**Ameraci, depositio sancti AVTBERTI, eiusdem urbis episcopi, signis virtutum & doctrinis clari, in cuius diebus ecclesia ei credita feliciter floruit. Refulsi temporibus Dagoberti incliti Francorum regis, sacerdos Christi probatissimus, sub quo & per quem Hannonia mirabiliter in Christiana religione cœpit florere & vige-re. Habuit enim in ea discipulos, Landelinum abbatem Crispinij; Vincentium Madelgarium Comitem; & coniugem eius sanctissimam Waldetrudem. Horum sanctitati adiunixerunt se etiam multi Apostolici prædicatores ex Scotia & Gallia: Quibus sanctissimus Gislenus ex Græcia accessit. Per quas columnas felix Hannonia Christo Domino est incorporata, ac fidei Christianæ initijs imbuta.

Dolendum est tanti pontificis vitam magna ex parte nesciri. Quod nescio utrum scriptorum ignauiae debeat imputari, an iusto Dei iudicio, qui stellas claudit quasi sub signaculo, dum vide licet exigentibus peccatis malorum, vita absconditur bonorum. Sepultus est Cameraci extra muros, in sancti Petri ecclesia, quæ ampliatis mœni-bus nunc est intra muros, sancti Autberti abbatia. Natalem habet Idibus Decembris, diem eleuatio-nis vigesimam quartam Ianuarij, translationis, quintam Iulij. Sepulcrum autem eius Deus multi-plici miraculorum gratia mirificauit, potissi-mum

Iob 9.

rum tamen per dies quadraginta, anno vigesimo  
quarto episcopatus Gerardi. Quo etiam iubente *Liber est*  
Fulbertus, Doctor clarissimus, librū scripsit quo- *excusus to-*  
*ad potuit, de vita & miraculis sancti Autberti.* *mo 6. Surij.*

## Decima quarta Decembris.

I<sup>o</sup>. *De sancto Folquino, episc. Morinorum.*

*Ex Martyrologio, Folquino, & Chronico Iperij.*

**M**Onasterio *suhiu*, depositio beati **F**OL**Q**UIN**I** Morinorum episcopi. Cuius vitæ & sanctitatis meritum commendat abyssus vehe-  
mens aquarum, vna nocte flante Austro conge-  
lata ad eius corporis transitum.

*De eodem  
videatur  
Meserius  
an. 855.*

Fuit verbi Dei indefessus prædicator per quadraginta annos, et si longæuo grauatus senio; summaque diligentia obiit oppida, castella, & vicos suæ diœcesis. Corpora sanctorum Audomari & Bertini sub terra recondidit, Prophetico spiritu præuidens loci per Danos destructionem imminentem. Transiit autem anno octingentesimo quinquagesimo quinto, decimo nono Calendas Ianuarij in *Heclesbeke* Mempisci vico, estque tumulatus in sancti Bertini monasterio, ad sanctum Audomarum: De translatione legitur Idibus Novembribus. Monasterio dicto *suhiu* eleuatio prima, & translatio corporis S. Folquini Morinorum episcopi, anno nongentesimo vigesimo octavo: & septimo Idus Iunij, Monasterio *suhiu*, translatio S. Folquini Morinorum episcopi.

Vitam scripsit Folquinus abbas Lobiensis, sancti Bertini monachus ab ineunte ætate. Testantur autem Bertinenses in Chronicis, se multa *Cap. 13. 42. 43.* huius miracula non solum legere, sed etiam ex- periri: